DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

USU ET ABUSU

SANGUINIS MISSIONIS

IN FEBRIBUS.

AUCTORE GULIELMO STANHOPE BEECRAFT.

Nunc diei, quum tam assidue illud, *Judicet unusquisque pro se,* in auribus nostris resonat, nemini necessarium esse potest se excusare, quod caeterorum, utcunque ingenio scientiaque sibi praecellentium, opiniones excutere, erroresque, siqui sunt, exponere cogitat, dummodo haec, qua decet modestia, fiant. Quisquis enim optimo illo naturae dono, judicio, ipse usus fuerit, eum caeteris idem concedere utique oportebit; quòque felicius aliquis hoc fecerit, eò modestius

feret alios vestigia sua premere. Neque enim ut animis hominum imperet, sed ut naturae arcana detegat et illustret, verus philosophus laborat; summisque viribus adnititur, non ut sententias, atque adeo errores suos quoquomodo tueatur, sed ut hos, aliorum auxilio, corrigat et emendet. Pro veritate pugnat; veritas autem ut ex puteo suo (uti in proverbio est) exhauriatur, plurium manus saepe postulat; quae si imbecilliores aliquando sunt, tamen non est veritatis veri sectatoris ullum, utcunque infirmum, auxilium, ad eam eliciendam respuere.

Haec ideo dixi ne cui parum verecunde factum videretur, quod ego, juvenis atque rudior, quaestionem attingerem, quae tamdiu peritissimos, longoque usu doctos, exercuerit. Vellem equidem digniori hoc opus contigisset; vellem mihi illud imperatum esset, ut aliorum potius sapienter scripta legerem, quam ut ipse aliquid imperite literis mandarem: quoniam vero aliquid, secundum leges celeberrimae hujus Academiae Doctoratum ambientibus quoquomodo scriben-

dum est, putavi me non melius facturum quam si quaedam de usu et abusu sanguinis missionis in febribus conflarem, non modo quia haec quaestio nunc diei animos hominum magnopere occupat, sed etiam quia non est quod omnino ad medicinam ipsam magis pertinet.

Hoc igitur quo melius faciam, primum de iis opinionibus pauca dicam, quae plurimum, per tot annos, conferebant ad hominum animos ab hoc, optimo quidem, abuso tamen, remedio in febribus avertendos; deinde quibus rationibus hae opiniones aliquando eversae fuerint, breviter ostendam; tum autem quam simus usque proclives certos illos fines, quos, ut inquit nobilis poeta, *ultra citraque nequit consistere rectum* transilire, atque optimum quodque intemperantia nostra in malum vertere, postremo docebo. Igitur a Doctorum CULLEN BROWNQUE sententiis incipiendum est.

Quisquis artis medicae principiis quam levissime imbutus fuerit, necesse est noverit quantum haec ars CULLEN debeat, quam-

que bene hic de medicis omnibus meruerit, disciplinam pangendo, quae non minus Boerhaavianae, cui successit, antecellat, quam haec prioribus omnibus antecelluerit. Veruntamen non ipsi Cullen datum est ab errore vacuus ut esset; quodque de febrium natura atque curatione docuit, manifestum reddit, quam sint arcti humani ingenii limites, quamque insulse nobismet ipsis persuadeamus fore ut naturae omnes ambages aliquando prosequamur. At Cullen primarius error ille fuit, quod existimavit quasdam febres ex imbecillitate proficisci, eandemque totum discursum earum quodammodo comitari; sic ut illa vis, quae medicatrix naturae appellatur, cujusque officium est quicquid pestiferum noxiumque est a corpore depellere, interdum imbecillior sit quam ut hoc efficere possit. Quod si, igitur, vis illa, sive corporis reactio, interdum vehementior fuerit, tamen magnam infirmitatem utique subsecuturam expectavit; foreque ut haec vehementer intenderetur, siquo modo reactionem illam co-

hibere voluerimus. Itaque, conjecturam suam sequens, sanguinis missionem, in talibus febribus non secus atque totam curationem quae vires deprimit, raro profuturam arbitratur, vixque non ex toto prohibet. Hoc quam perperam fecerit, docent rationes ususque summorum nostrûm temporum medicorum, qui tam feliciter hoc remedio usi sunt et utuntur. Atqui CULLEN illo potissimum nomine falsus fuisse videtur, quod ultimum stadium solum, vel certe maxime, quarundam febrium, earumque potissimum quae ex contagio gignuntur, aspexit. Quod si totum discursum morbi simul contemplatus erat, fieri vix potuit, quin intelligeret hoc stadium ex prioribus, secundum naturae leges, proficisci; totamque illam imbecillitatem, quae sub hoc est, ex priore vehementi cordis et arteriarum actione moveri. Neque enim aliis legibus, quod ad hoc, inviti musculi, aliis voluntarii, parent; utrorumque intensam actionem subsequuntur fatigatio atque infirmitas, quae sic demum arceri possunt si prior actio moderata

fuerit. Haec igitur de CULLEN opinionibus; quae, etsi perpauci nostris temporibus eas plene amplectuntur, tantum, tamque diu in medicina valebant, neque quidem nunc plane aboleverunt. Difficillimum enim est inveteratos errores corrigere, neque alii causae tribuendum est, quod STOKER, O'BRIEN paucique alii etiamnum de imbecillitate, tanquam febris primaria causa, disputant; immo vero vix dubitandum est, quin ipse celeberrimus hujus opinionis auctor, si nunc viveret viventiumque rationes audiret, ab eadem esset deflexurus.

Haec tamen ubi dico, minime est celandum, quod quidam, iique non parvi nominis, medici negant hodiernos quicquam in hac re profecisse; affirmantque CULLEN, si nunc viveret, febres per sanguinis missionem caeterasque depletiones curare posse, neque a pristina sententia sua transversum digitum deflectere. Quid enim? Non nunc tales esse febres, quales CULLEN per vinum corticemque Peruvianum curare, et commode curare, solebat; quae si denuo accide-

rent, eandem iterum curationem, in vicem sanguinis missionis, esse desideraturas. Febres autem per temporis discursum plurimum variari, atque ita quidem, ut vix commodius febres describere quam nubes possimus, quae etiam dum describimus, mutantur. Parum igitur bene illud dici quod a pluribus dici solet, febrem typhum, talem qualis a CULLEN describitur, in natura nusquam inveniri. Potuit enim CULLEN accidere, neque quenquam apud nos aliquid tale unquam vidisse; quinetiam negat medicus jure spectatissimus CURRY unum exemplum veri typhi, qualis a SYDENHAM, HUXHAM, PRINGLE aliisque depingitur, Londini per plures annos accidisse. Haec si vera sunt, possent fastidium nostrum quodammodo reprimere, pauloque plus observantiae CULLEN conciliare, quam solet nunc diei ab insulsissimo quoque arrisore accipere. Sed ad BROWN transeo; cujus, ut philosophi, opiniones vix magis notabiles sunt, quam, ut viri, actiones.

Illas vero antequam exponam, liceat dicere quod vix credibile sit virum, tanti ingenii quanti fuit Brown, posse revera illis sententiis, quas in medio protulit, ipsum omnino credere; quodque magis versimile sit eum has amplexum fuisse, partim certe, quia irascebatur iis hominibus unde elementa scientiae suae acceperat, eosdemque quoquomodo oppugnare cupiebat. Neque quidem hoc judicium acerbum parumque justum esse videtur, si modo illud verum est quod a celeberrimo quodam Londinensi medico publice in praelectionibus prolatum est, Brown usque adeo veritatis negligentem fuisse, ut non dubitaret exempla testimoniaque falsa sibi fingere, quotiescunque haec argumento suo aliquid collatura visa sunt. Narrat enim supra dictus medicus, Brown, quum aliquando forte podagra ita laborabat, ut ipse scribere non posset, sibi opus dedisse ut historiam morbi ejus scriberet vulgaretque; in qua asseveratum est eum ex curatione sua excitante plane sanatum fuisse, idque tum quum usque adeo

male habebatur, ut e lecto surgere non posset. Quod si homo ad rationes tam indignas tamque inhonestas confugere, ut opiniones suas sustineat, non dubitat, licet certe suspicari incitamenta unde illae proficiscantur, eademque parum honesta fuisse existimare. Malum quidem est, quod conjecturae admodum diversae, atque inter se contrariae, in medicina (quae, uti inquit CELSUS, conjecturalis plane ars est) proponi possunt, tantisque rationum momentis ab hominibus ingeniosis usque defendi, ut plurium animos aliquamdiu fallant. His vero optimum antidotum tempus est, quod, vera a falsis citius tardiusve separando, eosdem animos ad pristinam sanitatem reducit.

At BROWN disciplinae illa primaria pars est, quod causam proximam omnium febrium manifestam imbecilitatem esse judicat. Etenim "by fevers," inquit, "here are meant "those diseases so named which depend on "evident debility :" haec autem imbecilitas per totum morbi discursum permaneat necesse est. Itaque ut huic, de natura febri-

um, opinioni constet, BROWN vehementer adversus, non sanguinis detractionem modo, verum etiam caetera omnia sedantia remedia, quae plurimum contra febres valere experimur, clamat, quae ita reprobat quasi plane pestifera sint. Excitantia autem ea sunt, quae, secundum ejus rationes, maxime prodesse debent, hisque plurimum usquequaque tribuit. At imbecillitas, quam sibi finxit BROWN, universalis esse totumque corpus occupare putatur. Hoc quam non verum esse possit, utique quod ad cor arteriasque pertinet, testantur satis superque pulsus validus plenusque et durus, urina rubra et copiosa, plurimaeque aliae secretiones auctae, quae sub stadio calido quarundam febrium accedunt; quaeque fieri non possunt, nisi vasa quae sanguinem vehunt integra, atque adeo intensa, actione fruuntur. Quod si noster philosophus parum in ipsa morborum curatione versabatur, at certe haec, quae tantopere conjecturae ejus adversantur, fugere eum non potuerunt. Atqui non is fuit BROWN, qui parvis difficultatibus suc-

cumberet; itaque hanc ingeniossima ratione superat. Finxit enim sibi simulatum quendam vigorem, unde haec omnia, quae tam male ad imbecillitatem referri potuissent, proficisci vult; quoque tum cor arteriaeque frui videntur, quum revera summa imbecillitate laborant. Ego vero qualis sit iste simulatus vigor, aut quid demum movere cor arteriasque possit ut hujusmodi dolis utantur, parum equidem intelligo. Nam aut haec vi quadam instrui, qua se plus minusve sponte sua moveant, vel horum motus conditionem, quod ad veram imbecillitatem vigoremve, testari, utique debent.

Brown autem opiniones, utcunque falsae et absurdae sint, diuque apud plerosque aboleverint, nuper e tumulo quasi, ubi, simul cum auctore suo ingeniosissimo, placide requiescebant, excitavit Maclean,* qui vix non ipsum Brown delirando vincit. Non operae pretium fuisset hujus hominis delirationes curiosius prosequi, ut quae a judicio

* Vide Maclean's Works passim.

communi tam sint alienae, ut nemo de iis serio dubitare possit. Sat igitur sit dixisse hunc, non modo Brown ducem suum per omnia sequi, maximeque quod febris semper ex imbecillitate nasci, neque sanguinis missionem unquam aut desiderare, aut impune ferre putat, verum etiam omnes morbos ad eandem imbecillitatem sive excitationem imminutam, referre. Itaque sanguinis missionem, quae tam diu summam sedem inter medicinae auxilia, neque immerito, occupavit, quaeque, quicquid dixerit Maclean, diu, procul dubio, occupabit, e morborum curationibus plane detrudendam putat; neque enim morbum aliquem unquam accidere, aut accidere posse, qui guttam ipsam sanguinis e corpore mitti desiderat. Qui hoc ferre potest, huic nihil nimis absurdum putarem. Maclean, autem sibi gratulatur, quod rationem invenerit, qua plura millia hominum quotannis serventur: mirum ni, si omnes pariter atque hic delirabant, plura millia ad orcum intempestive mandarentur.

Hic vero minime omittendum est, (siquidem pristini amici defectio optimum testimonium invalidae disciplinae est) quod plures medici in Gallia, atque imprimis Broussais, qui diu Brown secuti erant, idque acerrime, nuper, ex emendato judicio, hunc respuerunt; quodque proxime dictus celeberrimus medicus febres omnes nunc ad inflammationem, eamque saepissime tunicae mucosae intestinorum, referre solet; quam inflammationem ut vincamus, ad sanguinis missionem, caeterasque partes curationis antiphlogisticae, (ut vocatur) utique confugiendum est.

Sed quum dixerim unde factum sit, ut sanguinis missio, in febribus, tam diu inutilis, atque adeo perniciosa, esse crederetur, sequitur ut proponam nomina rationesque eorum, qui optimum remedium ad debitos honores revexerint. Neque enim apud nos demum sanguinis detractio in febribus laudatur; siquidem pater ipse medicinae Hip-

POCRATES, ut quibusdam persuasum est, certe alter ille Latinusque HIPPOCRATES CELSUS, hoc auxilium in febribus commendavit; eodemque usi sunt AURELIANUS, ARETAEUS, GALENUS, quique hunc, maxima ex parte, sequebantur, Arabici, omnes denique plus minus, qui salutarem artem, a primis protinus temporibus, ad id tempus quo primum pestifera illa effata, de quibus supra dictum est, prolata sunt, exercebant. Nam quid ego SYDENHAM nostrum, WILLIS, PITCAIRN, MEAD, sexcentos alios enumerem? qui omnes sanguinis detractione, in curandis febribus, quodammodo usi sunt, antequam CULLENUS Edinburgi, FORDYCE autem Londini, animos medicorum ob optimo remedio male averterent.

At ex iis qui, post hos errores, viam ad pristinam melioremque medicinam aperuerunt, JACKSON primum locum jure sibi vindicat. Is enim tam mature atque anno 1774, febres in India Occidentali per sanguinis missionem curare inceperat, eandem vehementer lau-

dare.* Neque tamen id fecit, tam quia febres ex nimis vehementi actione proficisci putaret, quam corpus onere sanguinis, sub febribus, opprimi; missionem ejus igitur non tam corpus sedare, quam excitare, sicut qui onus fert, si eodem opprimitur, optime adjuvatur si ex onere aliquid detraxerimus. Neque hoc solum commodum JACKSON ex sanguinis detractione se reportare putavit; ex eadem enim, inquit, motus in corpore corrupti, unde pendet morbus, vel mutantur, vel sistuntur, occasioque praebetur, qua salubres actiones vitiatis succedant, unde facilis ad sanitatem reditus fiat. Quod si JACKSON rationes subobscurae fuerunt, tamen quam bene ei cederet hujusmodi curatio, negare nemo potuit. Dubitare tamen etiamnum plerique de generali utilitate sanguinis in febribus detractionis, atque dictitare, utcunque bene id auxilium ferret miles durus

* Vid. JACKSON's Appendix to his Remarks on the Constitution of the Medical Department of the British Army.

et robustus, in quos maxime JACKSON id expertus erat, tamen parum idoneam curationem hanc esse corporum molliorum et infirmorum, quae sub tali medicina celeriter raptum iri vehementer credebant.

Opus igitur fuit aliorum experimentis et testimoniis, quo hunc scrupulum aliquando tollerent. Neque haec diu desunt; siquidem paucos post annos SUTTON eandem febrium curationem experiri, idque felicissime, in America coepit*. Post quem CLUTTERBUCK, non novam quidem, plane diversam tamen ab acceptissima, opinionem de febrium natura docere Londini coepit; cui etsi nunc diei perpauci assentiunt, tamen illud certe affecit, ut medici a sanguinis missione, sub iis malis, minus abhorrerent. Docet enim CLUTTERBUCK † (id quid revera docuerat PEW, anno 1785) omnes febres natura similes esse, semperque ex moderata quadam

---

* Vid. Medical and Physical Journal, Vol. 38.

† Vid. CLUTTERBUCK's Inquiry into the Nature and Seat of Fever.

cerebri inflammatione proficisci; cui malo cum sanguinis missio utique opportuna sit, fieri non potuit, quin eadem quodammodo ad omnes febres referretur.

Haec ubi fiebant MILLS rationes suas de febribus Eblana vulgavit; sub quibus omnes febres ex aliqua inflammatione moveri existimat, iisdemque, pro parte quae maxime exercetur, nomina dat*. Hinc habemus, non typhum modo, verum etiam febrem gastricam, enteriticam, cardiacam aliasque, prout ventriculus, intestina, cor aliaeve partes male se habeant. Quam quidem descriptionem secuti sunt, cum PRITCHARD aliique, tum DUNCAN noster junior; qui illo nomine MILLS sententiae omnino accedunt, quod aliquam partem corporis, sub omnibus febribus, prae caeteris laborare utique arbitrantur. At pulsus imbecillus, qui quasdam febres, comitari consuevit, secundum eundem MILLS, non tam ex corporis infirmitate quam ex oppressione, id quod opinatus erat JACK-

* Vid. MILLS on the Utility of Blood-letting in Fever.

SON, proficiscitur: postulat igitur, non secus atque ipsa natura morbi, ut qui ex inflammatione utique pendeat, sanguinis missionem; neque omnino aliud quicquam adversus febres magis valere. Longum est omnes enumerare qui, post hos, de hujus remedii, in febribus, utilitatibus scripserant; minusque necessarium id esse videtur quia omnium rationes ususque quodammodo similes esse videntur. Itaque caeteros transeo, quo citius ad ARMSTRONG veniam; quem tam breviter praeterire neutiquam licet.

Is igitur in libro, qui merito inter optimos in arte medica nostris temporibus prolatos recensetur, posteaquam febris typhi triplicem distributionem fecit, singulas species in terna stadia dividit. At in prima specie, quam simplicem vocat, ut quam nulla alicujus partis inflammatio comitetur, (id quod utrumne fieri omnino possit, dubitat PRITCHARD aliique) sanguinis missionem plerumque supervacuam esse arbitratur. In altera autem specie, quam inflammatoriam, atque

adeo in tertia, quam congestivam appellat, sanguinis detractionem summum remedium putat; quam quidem adeo diligit, ut hanc brachium dextrum medicinae vocet, uti hydrargyri submuriatem sinistrum. Quod si ulla evidentia signa acutae inflammationis sunt, quae fere sub secundo morbi stadio (quod excitationis vocat) oriuntur, quaeque cerebrum vel membranas ejus, pulmonem, pleuram, asperam arteriam, ventriculum, intestina, jecur, peritoneum, male se habere testantur, nemo dubitare de sanguinis missi utilitatibus potest. Neque solum prodest id remedium ubi acuta inflammatio alicujus partis ex propriis suis signis se prodit. Est enim genus inflammationis quod subacutam appellat, quodque se minus manifestis quidem, non obscuris tamen, indiciis ostendit. Hoc parum vel nihil doloris comitatur; pulsus vero celerrimus est, spiritus vehementer agitatur, lingua arida sordibusque onusta est, et corpus universum summa oppressio occupat. Sub hac igitur conditione, non secus atque in congestiva specie, summa

spes in sanguinis detractione est, cum e brachio, tum, post aliquamdiu, e partibus; ex qua, si initio facta fuerit, et cum mediocri prudentia, corporis vires ita non consumuntur, ut multum adaugeantur, omniaque supra dicta mala plurimum leventur. Post hanc curationem, ARMSTRONG nihil tantopere proficere existimat, atque hydrargyrum; quod imprimis valere ad circuitum sanguinis aequalem reddendum putat. Verum hoc ad nostrum argumentum minus pertinet.

Igitur cujus curationis fundamenta tam feliciter jecerant JACKSON, SUTTON, MILLS, ARMSTRONG, quamque tam bene sustinuerant et firmaverant BATEMAN, PRITCHARD, PERCIVAL, CHEYNE, DUNCAN, eam sperandum fuit ne quis nimia vehementia laudis debilitaret. Tamen non est generis humani, in re ulla, *auream mediocritatem* servare; ideoque solum ex uno vitio effugere videmur, ut in contrarium recta irruamus. Tribus igitur verbis nunc memorem librum, qui, rem ultra justos suos fines evehendo, salutarem nostram artem, vix minus quam

de imbecillitate putredineque praedicationes, laesurus (si modo auctor tanti fuit) esse videtur.

Quicunque legerit WELSH libellum, noverit protinus quemnam hic innuam, quantaque cura opus sit, ne in alteram partem quidem, non tamen minus, quam olim delirare incipiamus. Neque enim, quia sanguinis missio in febribus bonum remedium est, protinus nulla alia alicujus momenti sunt, neque haec sic laudanda est, ut caetera omnia, atque adeo ii qui his aliquid tribuunt, fastidiose vituperentur. Neque vero eadem sanguinis missio, quia prudenter adhibita prodest, non ideo potest esse vel nimis sera, vel nimis copiosa. Quis enim unquam, praeter WELSH, homini, decimo sexto die a febris initio, cum delirio mussitante, tendinum subsultu, lingua dentibusque sordibus crassis et atris obductis, cute stigmatis plena, pulsu ad centum et octo, contractiore facilique compressu, triginta uncias sanguinis continuo detraxit; insequente die viginti, tertio alteras viginti, &c.?

Ita adhibere optimum remedium, non uti eo, sed abuti, est. Veruntamen non est negandum eundem WELSH plurima exempla protulisse, sub quibus sanguinis missio summo bono fuit; librumque ejus inter optimas evidentias esse, quantum hoc remedium in febribus prodesse soleat. Cavendum modo ne modum excedamus: quod si interdum fecerimus et homo convaluerit, hoc oportet testimonium existimare, non quam commode hominem curaverimus, sed quantum corpus humanum tolerare possit.

FINIS.

Ita adhibere optimum remedium, non vili ex, sed docti, est. Venæsectionem est ingenium tentare. WILSON plurima exempla protulit, in quibus sanguinis missio summo opus fuit; nihilominus quis inter optimas medicinas esse, quamvis hoc remedium in febribus putridis nolim. Cavendum modo ne modum excedamus: quod si interdum fecerimus et homo convaluerit, hoc oportet concordiam existimare, non quasi commodo hominem convenisse, sed quantum corpus humanum tolerare possit.

FINIS.